

cus intendere nervis, — Ante quod etiam cantu Majorum facta modulationibus citharisque canebant, Ethespiamara, Hanala, Fridigerni, Widicula, & aliorum, quorum in hac gente magna opinio est, quales vix Heroes fuisse, miranda jactat antiquitas. Atque ista vetustissima Celtarum carmina in scripturam utique redacta, rectè arguit Kriegsmann. *Conject. de German. Gent. Orig. cap. VI.* H. Conringius quidem de *Antiq. Stat. Helmstad. pag. 2.* ait: *Veterum fabularum indubiè magna olim copia, quoniam carmina pro annalibus tum fuerunt.* Et pag. 18. paulò vehementius invehit: *Quoniam gentium illarum antiquæ omnes narrationes nituntur fide priscorum carminum, fuerintque præter carmina & paucas rupium inscriptiones non alia populorum illorum quondam historica monumenta, idque more communi omnium olim Germanorum, quod ex Tacito notum est, non magis tutò illis credas, quam Græcorum Latinorumq; Poëtarum fabulis: quæ ubivis gentium fuit semper carminum illaudabilis licentia.* Verum enim verò quod pace beatorum Manium dixerim, discrimè magnum arbitror esse inter fabulas Græcorum Latinorumq; Poëtarum, & inter Carmina Bardorum Celticorum, quod in Præfatione ad Otrifridi Volumen Evangeliorum deductum: & ad Poëma vetus Germanicum de bello Caroli M. contra Saracenos in Hispania pluribus, DEO volente, exponetur.

Fides carmin.

§. III. Certè de hujus nostri Epinikii fide dubitatio nulla superest: nisi utri Ludovico Regi, Franciæ Orientalis, an Occidentalis sit assignandum? Dubium aggravat, quod quum Normanni prædatores ad Scaldim stragem passi fuerint post Caroli Calvi tempora, duo Reges vixerint Ludovici, & in Gallia sive Francia Occidentali, & in Germania sive Francia

Ludovici duo  
tum

Francicus  
Ludovici Bal-  
bi fil.